

05

A


862











Disputatio Phylca

**DE MOTU**  
**GENERICE CON-**  
**SIDERATO**

*Quam*  
conscriptit:

&

*Divinâ annuente gratiâ ex amplissimâ Facultatis*

*Philosophicæ consensu*

SUB PRAESIDIO

**M. GREGORII HOR-**  
**STII TORGENSIS, PHILIATRI,**  
in illustri VVitebergensi Lycco publi-  
cè defendendam suscepit


RESPONDENS

**ACHATIVS IÖRGER**  
Austriacus Aschaviensis.


*Habebitur eadem in Auditorio Collegij novi maiore*  
*Ad diem 18. Februarij.*

VVITBERGÆ

Ex Officina Cratoniana, Anno 1604.







*Ab utroq[ue] Ordine incl[us]o*

**ILLUSTRIBUS GE-  
NEROSIS**

D. D.

Dn. RICHARDO à STARHEMBERG,  
superioris Austriae supra Anasum  
Ordinario:

Dn. ERASMO à STARHEMBERG,  
in Eferding Dnn. in Kiedegg/Wildtberg/&  
Lobenstein / Dnn. Comitatus  
Schaumburg:

**FRATRIBVS BARONIBVS.**

*NEC NON*

*Nobilissimo atq[ue] Strenuo,*

Dn. IOANNI SCHIFERO, ab Zrenhart-  
ting in Darberg/

Superioris itidem Austriae Ordinario  
deputato:

*Dominis meis Clementissimis, Patronis Benignissimis pro-  
testando omnis observantiae cultu hoc studio-  
rum μελέτημα primum*

offerre

debut

ACHATIUS IÖRGER

Respondens.



05 A 862





# DE MOTV

## THESIS I.



Nter affectiones corporis naturalis meritò principatus ratione dignitatis attribuitur Motui; de cuius essentia generalem hanc *διάλεξιν* institucere volumus.

## II.

Etsi verò in omni disputatione primùm occurrit quæstio AN SIT, nos tamen hic scirpō in nodū quærere non adeò laborabimus; præsertim cūm τὸ ὅτι quod sit motus contra Zenonem sufficienter experientia confirmetur, & à solidè Philosophantium corona comprobetur.

## III.

Sequitur ergò QUID SIT, Motus, quod non aliter, quàm per declarationem definitionis intelligere possumus, utpote cūm definitio essentia notata sit.

## IV.

Est autem Philosopho MOTVS ἡ ἐντελέχεια τῶ δυνάμει ὄντι, ἢ τοῖς τὸν 3, Phys. c. 1. tex. 6. vel: ἐντελέχεια τῶ κινήτῳ, ἢ κινήτῳ ibid. c. 2. tex. 16. *actus entis in potentia, quatenus tale: vel actus entis mobilis quatenus mobilis.*

A 2

Dicitur



V.

Dicitur motus ἐντελέχεια, vel actus, non quidem in ea significatione, quatenus ἐντελέχεια omnem potentiam aufert, ut apparet in forma completa sed prout, interpreturam potentiam & actum perfectum quasi medium quoddam esse videtur.

VI.

Genus itaq; Motus ambiguitate omni remotâ nos actum statuimus imperfectum, qui adhuc in potentia ad formam perfectè consequendam existit.

VII.

Sequitur in definitione vocabulum *Entis*, per quod nihil aliud quam τὸ κινητὸν, corpus scilicet naturale intelligitur, quod est subiectum illud, quod moveri dicimus.

VIII.

Porro potentiae quando fit mentio, eo ipso ostenditur, Motum esse actum imperfectum, quam diu nimirum res δύναμιν ad aliud in se habet: Ratio datur hæc, quia nondum est illud, quod fieri potest.

IX.

Denique reduplicativam quatenus tale, Philosophus definitioni attexere voluit ideò, quò formalem rationem Motus differentiae loco magis exprimeret.

Ipsam



X.

Ipsam videlicet continuam acquisitionem formæ, quæ partim est acquisita, partim acquirenda restat.

VI.

Hanc ut magis intelligamus, ideò definitionis membris ita delibatis transitum ad προσκείμενα κινή-

σεως facimus, quorum ab Arist. 5. Phy. c, 1, tex. 3. recensentur quinque, his verbis: ἔπει δ' ἔστι μὲν πὶ τὸ κινῆν πρῶτον: ἔστι δὲ τὸ κινῶμενον: ἐπὶ, ἐν ᾧ κινῶνται: καὶ παρὰ ταῦτα, ἐξ ὧ: καὶ εἰς ὅ.

XII.

Hæc ergò consequenter in specie considerabimus initio facto ab eo, quod movet.

XIII.

Cùm enim nihil seipsum ad actum traducat, quod in potentia est, idcirco necessarium est consequens, in omni motu dari, quoddam movens, quod actu existat.

Requisite  
Motus:  
1.

XIV.

Hoc movens est vel naturale, vel non naturale: utrumque mobili motum introducit, sed illud à mobili quoque rursus afficitur, hoc minimè.

XV.

Hic fundamentum reactionis oritur, quod scilicet agens in agendo, sæpius patitur aliquid vicissim, nimirum in rebus sublunaribus respectu agentium naturalium.

A 3

Alterum





XVI.

Alterum est *mobile*, quod in motu abesse nequit, quia motus inest ei, quod movetur actu, teste Philosopho 5. Phy. tex. 4.

XVII

Hoc tantum naturale dicitur, quia mobile, ut tale, patiens est: at omnis passio à materia, quæ rebus naturalibus propriè convenit.

XVIII.

Consequens iam est, in motu unum eundemque actum esse moventis & mobilis, unde actio & passio sunt re ipsa & subiecto unus idemq; motus, *in patiente existēs*: prout verò actus ad rem agentem, tanquam ad id, à quo fluit, & patientem, tanquam ad id, in quo recipitur, consideratur; non negamus alio atq; alio modo ad duo diversa pertinere, quæ tamen non re, sed τῷ λόγῳ ἑτέροις dicit Arist. 3. Phy. c. 3. tex. 22.

XIX.

3. Tertium, quod requirit Philosophus, est ἐν χρόνῳ: *tempus* videlicet quod quidem motus non est, non tamen absq; motu, teste Philosopho lib. 4. Phy. tex 97.

XX.

Hinc tale consuetarium oritur: *nihil in instanti moveri posse*; præsertim cum motus sit actus entis in potentia, ut in potentia: unde continuus est, habet.



habetque prius & posterius, & ex sua natura  
succelsionem sibi vendicatiquæ omnia de Instanti  
rectissimè negantur.

XXI.

Deniq; postremo loco *termini* considerantur  
ἐξ ἧ καὶ εἰς ὃ: cum enim motus sit quædam mutatio,  
quæ necessariò fit ex aliquo in aliquod: sequitur  
duos esse terminos in motu; à quo & ad quem.

XXII.

Terminus à quo: est initium, à quo incipit  
Motus. 4.

XXIII.

Terminus ad quem: est finis ad quem tendit  
motus, cuius gratiâ totum hoc negotium insti-  
tuitur. 5.

XXIV.

Quamvis autem μεταβολὴ & κίνησις in eo conveni-  
ant, quòd eiusmodi duos terminos habeant nihil-  
ominus tamen in sua propria essentia distinguun-  
tur tanquam genus & species, præsertim cum mu-  
tatio latiùs sese extendat motu propriè dicto.

XXV.

Motus enim terminos tantum positivos re-  
quirit: at μεταβολὴ potest etiam inter privativos cõ-  
sistere. Adde, quod motus essentialiter successio-  
nem includat; mutatio verò minimè.



## XXVI.

Ex dictis sequitur propriè loquendo generati-  
onem per se consideratam nõ esse motum, utpote  
cuius terminus à quo positivus non est, præsertim  
cùm tendat à non esse ad esse: adde quod fiat in-  
stanti, unde motus definitio eidem minimè con-  
venire potest.

## XXVII.

Relinquitur ergo MOTVM propriè vel ad  
*Quantitatem*, vel ad *Qualitatem*, vel ad *locum* esse, ut  
innuit Philosophus lib. 2. Phy. tex. 2. It. lib. 5. Phy.  
tex. 18. & lib. 7. tex. 10.

## XXVIII.

De his motus speciebus iam dicendum esset,  
verùm cùm horum ἐξήγησις peculiaris sit, idcirco e-  
andem ad peculiarem συζήτησιν remittimus.

## Quæstiones

1.

An diminutio, quæ à perfectione ad imperfe-  
ctionem tendit, sub definitione motus compre-  
hendatur? Aff.

2.

Num Philosophus ad propriè dictos motus  
retulerit generationem in propria significatione?  
Neg.

An



3.  
An motus localis propriè sub definitione Aristotelica contineatur? Aff.

4.  
Nùm alteratio *ἡ τὰς σερπητὰς διαφέρει*, cuius Philosophus lib. 2. de an. meminit sub definitione eâdem comprehendatur? Aff.



## Ad Respondentem

M. BALTHASAR KESSELBODEN,  
Carinthus.

**N**on aditu tantùm Sophiæ delubra salutas  
Veras sed & adytis eius habere cupis.  
Hæc est paucorum felix fortuna virorum;  
Rarius est, Mentis templa videre bonæ.  
Hoc quoque contingat Tibi, sedulus usq; labora  
Pulchrum est esse Sophum; pulchrius, esse Bonum  
Hoc virtutis iter tere; mentem huc corq; moveto:  
Hic nescit MOTVS laudis habere modum.

AD



AD EVNDEM

Conterraneum, Commilitem,  
Consalaneum & Amicum suum  
singularem

**T** V Physicum MOTVM, Politia ego ventilo Motus:  
Motibus his poterit quis statuiffe modum?  
Dulcius est Sophies Variare coloribus illum.  
Hoc optabilior semper in orbe quies.  
Nil iam pacificum, iam motibus omnia plena:  
Nonne cics MOTV TV quoq̄ BELLA tuo?  
Sit mos, motorem turbae vincire catenis:  
Ecc e parabuntur iam quoq̄ vincla Tibi.  
Aurum de collo, non ferrum pendeat, opto.  
Et Lauri in capitis vertice spiret odor,  
Dulce tuum bellum: meliora medeberis ergo  
Præmia: sed restim seditiosus emat.  
Adde, quod hoc MOTV procul hinc ignava fugando  
Otia, agis gnavae sedulitatis opus:  
O nimium felix, qui gaudes motibus hisce, &  
Mobile contemta cælum imitaris humo,  
Nec terre affigis di vine particulam aure.  
Quid Tibi continget post bona tanta? POLVS.

ACHA-



ALPHATVS VERGERVS

Δις ἀναγραμματιζόμενος :

Virge vera fatis : sta vir : jus hūc re-  
ge posthac :


Annon te magnum sic fore reris ? eris.

*Ioannes Viderus Veclapontinus  
Austriacus.*

FINIS.









05 A 862

**ULB Halle** 3  
003 767 817  




17017











Disputatio Physica

DE MOTU  
GENERICE CON-  
SIDERATO

Quam  
conscripsit:

&  
*Divinâ annuente gratiâ ex amplissima Facultatis  
Philosophicæ consensu*

SVB PRAESIDIO

M. GREGORII HOR-  
STII TORGENSIS, PHILIATRI,  
in illustri VVitebergensi Lyceo publi-  
cè defendendam suscepit

RESPONDENS

ACHATIVS IÖRGER  
Austriacus Aschaviensis.

*Habebitur eadem in Auditorio Collegij novi maiore  
Ad diem 18. Februarij.*

VVITTBURGÆ

Ex Officina Cratoniana, Anno 1604.